

Werner,
Epistola ad Philippum
Melancthonem.
Responsio Melancthonij.

Vg
4621



xvii, 547.





8

XI



220

XVII, 547





EPISTOLA
A VVERNERO PASTORE
BARBIENSI SCRIPTA EX MANDA
to Flacij Illyrici, & præscripta ab
eo formula,

AD PHILIPPVM MELAN-
THONEM,

In qua quid sentiat Flacius *περὶ λόγου* seu de filio
Dei Domino nostro Iesu Christo, qui
est fundamentum fidei & res
ligionis nostræ, ex-
ponitur.

RESPONSIO D. Philippi Melanthonis
ad istam Epistolam,



ANNO M. D. LVIII.

XVII 547



EPISTOLA

A VVERNERO PASTORE

BARONIS SECRETARII M. A. D. D.

TO LACONIS & P. M. A. D. D.


CO. J. M. A. D. D.

AD THEOPHILUM M. A. D. D.

T. M. A. D. D.

In qua dicitur...

...



M. A. D. D.

...

M. A. D. D.

PRAEFATIO AD MATTHI
AM FLACIVM ILLY-
RICVM.



Vo usq; procedet tandem Illyrice
Sclauē rabies tua? Quo effrenata
sefe efferet libido mentiendi?
Quem statues modum finēue
petulantiaē tuā & licentiaē? Aut
quando desines illudere Ecclesiaē asciti zeli hy-
pocritico prætectu, & fūco ac præstigijs so-
phismatum impudentissimorum, & cessabis ar-
rodere paulatim atq; conuellere sycophantice
doctrinam Ecclesiarum nostrarum, in quo pro-
positum tibi hoc esse perspicue cernimus, ut ab-
olitis scriptis, quæ sola hæctenus conatus & mo-
litiones impediuerunt tuas, postquam autores
ipso mendacijs tuis confecisti, liberius & licen-
tius promas promoueasq; quæ serere cepisti
blasphemiaē semina? Extant tuæ de filio Dei
domino nostro Iesu Christo, qui fidei nostraē &
religionis fundamentum est, disputationes scri-
pto expositæ à Manipulari tuo V Vernerō Bar-
biensi pastore ad Philippum Melanthonem.
Eas tu mendaces uocas in famoso tuo libro
blasphemiaē, mendaciorum ac calumniarum
pleno recens contra Menium edito. Hoc si de

A ij senten-

sententia disputationum uis intelligi, non reprehendimus, Imò fatemur nihil abs te dictum esse uerius unquam: Neq; enim audiuit Ecclesia multis seculis tetriores et magis blasphemias uoces in filium Dei, illis quas tu coniuncta cum Arrianæ hæreseos instauratoribus & hostibus Christi Serueto, Tammero & alijs, opera tua VVernero Barbiensi præscripsisti. Si mendaces ideo uocas, quod abs te (ut prætendis) ortæ non sint, sed in te falso confictæ, te inscio, quibus quæso nobis artibus persuadebis, ut qui præstigiatrices strophas tuas, & artificia deceptionum, & uasrum ac subdolum ingeniũ tuum & Sclauicam indolem perspeximus, & de tuorum intimorum indicationibus machinationes & molitiones tuas explorate cognouimus, quos odio maliciæ & præstigiarum tuarum scis abs te discessisse, ut credamus (inquam) nihil istorum profectum esse abs te. Venit VVitebergam VVernerus, qui inter tuos amicos & complices non ultimum obtinuit locum, postquam responsum Philippi accepisset, et supplex deprecatus est errati sui culpam, nõ quod genuisset ista, sed quod suam tibi manum & operam ad istas blasphemias locasset, nec de secuturis cogitasset periculis, & iureiurando testatus est, abs te & tua manu formulam sibi præscriptam fuisse, quam

quam tu atrocissimis publicarū translationum
& infectationum minis repetitam, recuperasti,
ne scilicet *αυτοψαφου* posses conuinci. Et cum de
alijs tuis insidijs, tum de hac præcipue perfidia
questus est, quod his rebus incautum ipsum im-
plicuisses, & *αυτοψαφου*, quo se tutari poterat, ex-
torisisses. Quo ille hæc animo iuravit & confir-
marit, iudicabit Deus. Hoc scimus, illud ipsum
te *αυτοψαφου* à Barbiensi, paulò antè quàm tute-
met impetrasses, per Illustrem quendam uirum,
quem honoris causa non nomino, repetiuisse.
Scimus & hoc, conuictæ conscientiaæ terrores
& cruciatus animi tui, & metum perpetuæ infam-
iæ ita te exercuisse, ut longo uix tempore ac-
quieueris, & multas traduxeris noctes insom-
nes, & pene ad insaniam sis redactus, etsi alio-
quin parum sanæ mentis habes. Scimus te dis-
putasse eadem cum alijs bonis uiris, & refuta-
tum esse, quorum aliquos mouit hæc insania
tua, ut ab amicicia tua discederent: Aliqui te
monuerunt, ut deponeres errorem, quod si non
faceres, sese tibi contradicturos esse. Nisi itaq;
tu ostenderis palàm, quæ tua sit de filio Dei do-
mino nostro Iesu Christo sententia, explicate ac
diserte, sine sophismatum præstigijs & elusio-
nibus, cuiusmodi hæctenus fucum fecisti multis,
& conuiceris Barbiensem Socium tuum, quod

A iij

istius

istius blasphemæ ipse autor sit Epistolæ, iudicabimus te hostem esse filij Dei & Ecclesiæ capitalem, ut qui in caput religionis nostræ & Ecclesiæ inuasisti, & filium Dei diuinitate exutum deiecisti de æterni Patris solio, & blasphema maledicentia tua conculcasti. Sed inuenias sane fraudulentum & uersatili ingenio tuo, quo uel eludas nos, uel ut coepisti, à te causam deriues in Barbiensem VVestualum, non decipies tamen filium Dei καὶ τοῦ υἱοῦ, qui aduersus machinationes tuas gloriam tutabitur & uindicabit suam, teq; fulmine uerbi & ministerij sui prostratum præcipitabit tandem in exitium. Etiam artificia tua paulatim magis. magisque innotescant & prodentur. Euomis uirus tuum in Ecclesiam per alios, ut si non procedat, quod moliris, tu pedem retrahas, & inficiando culpam conferas in illos ministros tuos. Legat ergo & iudicet Ecclesia tuam de filio Dei sententiam in Epistola tua, quam non mendacem tantum, sed blasphemam appellare debuisses in contumelioso scripto tuo. Legat & responsionem tui Præceptoris, in quem tu euomisti tandem omne, quod habuisti manifestorum mendaciorum & scurrilium calumniarum uirus, impudentia & arrogantia tanta, ut si adplausores etiam inter bonos hic liber tuus inuenturus est, existimes
mus

mus deploratam esse ueritatis coelestis lucem.
Oramus autem Dominū nostrum Iesum Chri-
stum, quem contra te cum tota Ecclesia confite-
mur esse uerum & æternum filium Dei *ὡς μόνον*
γενῆ, ὡς ὁμοούσιον Patri, & uerum hominem na-
tum ex Maria uirgine, crucifixum pro nobis, &
resuscitatum, custodem Ecclesiæ suæ, ut colli-
gat & conseruet sibi inter nos æternam Ecclesi-
am, & in ea puram doctrinæ suæ lucem, & tu-
os conatus impediatur & euertatur, & bonos om-
nes propter gloriam Dei obtestamur, ut te fu-
giant & execrentur. Nam & umbra

tua tuorumque scriptorum læ-

dit bonos. Va-

le.

Clarissimo

CLARISSIMO VIRO DOCTRINA ET PIETATE PRÆSTANTI DOMINO
Philippo Melanthoni Præceptoris suo
semper colendo
S. D.



Venerande & semper colende Præceptor. Nunquam de tua uoluntate dubitavi, & pio animo definitionem Euangelij, qua prædicationem poenitentiae complecteris, à te positam credo. At uicini conqueruntur, hac generali descriptione Antinomorum & furores confirmari, qui contendunt: Euangelium & gratiam tantum docendam esse, ne homines legis comminationibus & fulminibus terreantur. Moisen quam longissime à concionibus pellendum. Mirantur tuum consilium, qui toties inculcas discrimen legis & Euangelij. Fateris confusione harum doctrinarum, quæ sine & effectu dissident, ueritatis lucem obscuratam, & pene extinctam esse. Nollem itaque unicam illam uocem nouis certaminibus occasionem præbere. In priuatis similitudinibus, etiam gestus seuerior suspicionem offenso mouet. Priori querelæ de D. Georgio hoc adiicitur, quòd nunc dicit, fide & confessione fieri applicationem beneficiorum Christi, cum antea docuerit, sola fide apprehendi gratiam. Huc accedit aliud malum, quod Stenckfeldius mouet, eleuans ministerij externi auctoritatem, & affirmat mortuum elementum inutile esse. Hunc errorem toti posteritati perniciosum duabus hypothesibus, Quòd filius Dei sit uerbum Dei; Et, Quòd Pater intuendo & cogitando sese

sele gignat filium, stabili aiunt. Posito hoc fundamen-
to sequi, Verbum Dei propriè loquendo esse filium
Dei, sacras uero literas impropriè uerbum Dei appella-
ri. Contra primam ego hypothesein opponunt, quod
in sacris literis nusquam legatur, quòd uerbum Dei sit
filius Dei, excepto uno loco Apocalypseos 19. ubi Fis-
lius uocatur λόγος τοῦ θεοῦ. Sed illum librum inter Apo-
crypha numerari. Et si quis opponit: Verbo Dei cœli
firmati sunt, & spiritu oris eius, respondent, sequi absur-
ditatem, si illamandata, FIAT LVX, filium Dei esse
dicamus. Spiritu oris, similem locutionem esse illi,
2. Thessa. 2. Christus spiritu oris sui interficiet Anti-
christum. Paulum de externa doctrina, non de substan-
tia filij loqui. Addunt uerbum Dei in latino & germa-
nico sermone nihil aliud sonare, quàm doctrinam, quam
Deus locutus est per Prophetas, Christum & Aposto-
los. Iam si sacræ literæ impropriè dicuntur uerbum
Dei, & filius Dei propriè loquendo uerbum Dei nomi-
natur, quis quæso Stenckfeldianum errorem refutabit?
Altera hypothesis uidetur non minus patrocinari eis-
dem errori. Nam si Pater cogitando gignit Filium, qui
Verbum uocatur, uerisimile, imò certum est, per hoc ip-
sum uerbum potius efficacem esse Patrem, quàm per il-
lam blesam & raucam ministri uocem, uerba ad popu-
lum facientis. Deinde, si Patris intuitio sui gignit sepa-
ratam Filij personam, quare Filius non gignit eodem
modo cum Spiritu sancto separatas personas? Non
enim hæ personæ ociosæ sunt, sed habent reflexam acti-
onem, & sese intuentur. Sequitur & hoc, Spiritum sans-
ctum & omnes creaturas cogitatione genitas. Ita certus
numerus personarum non poterit constitui, & spargen-

B

tur 62

tur semina multarum absurdarum opinionum. Hæc
est fere summa earum rerum (si recte intellexi Illyria
cum) de quibus tecum & cum alijs pijs colloqui cupe-
rent. Ad has res explicandas, quam necessaria sit con-
cordia, quis non uidet? Et coniunctionem animo-
rum fieri posse animaduerto, si tua uoce & publico tes-
timonio Lypficas actiones irritas feceris, & in postea-
rum uitentur ambiguae uoces in explicatione scripturae,
ut doctrina incorrupta posteritati transmittatur. Hæc
tibi, quem parentis loco ueneror, significanda duxi,
fretus tua beneuolentia, qua me semper complexus es.
Filius Dei Michaël stet & pugnet pro Ecclesia & po-
pulo suo, ne opprimatur Turcica & Pontificia ty-
rannide, inclinetq; animos nostros ad piam
& salutarem pacem. Bene & foelis

citer uale. Datae Barbi,

9. Decembris.

1556.

T. VVernerus.

RESPONSIO PHILIPPI ME

LANTHONIS AD EPISTOLAM

VVeneri,

S. D.



On longis interuallis tres accepi Episto-
las, primam Flacij quæ repetit toties pro-
positam *κατάβλω*, de qua adeo summissè
 respondi, ut quicumq; legerunt, agnos-
 scant mihi non deesse studium pacis.
 Mox aliam Gallus misit à ripa Istri, de-
 nuncians mihi bellum de coactione humanae uolunta-
 tis, Cui respondi, me non moturum certamen, sed
 ἀμωροδίνω βέλτορ ἔσειδα. Tertia nunc accedit seu tua,
 seu ab alio dictata, de quaestione grauissima *πρὸς λόγον*.
 Ita res arte instructa est, & diuisæ operæ, ut pluribus con-
 sodiar uulneribus, qua in re tamen te uirum prudens-
 tem miror hanc partem suscepisse, in qua plurimum est
 periculi. Nec quisquam tuorum amicorum hîc, à quib-
 bus scis te uere diligi, sine gemitu tuam Epistolam le-
 git, etsi cùm plena sit artis, & ironiarum, nemo te auto-
 rem esse existimabat. Sed tamen manum te locasse al-
 teri ad hanc scriptionem dolemus. Quid aliud quàm
 ironia est, cùm extenuas disputationem de pœnitentiâ?
 Leue quiddam est, cedas publicæ tranquillitatis causa.
 Habui causas mei consilij, quia in Euangelio proprie
 patet peccatum, quòd mundus ignorat & contemnit
 uillum Dei, & scriptum est: Spiritus arguet mundum
 de peccato, quòd non credunt in me. Exponam & alias
 causas cùm uidero censuram, quæ nunc, ut audio, cudi-
 tur. Sequentia in tua Epistola aut ironiæ, aut insidiæ
 sunt,

sunt. Nam si ingenua, ut inter amicos, disputatio esset, non præterires primum caput Iohannis, quod tibi non ignotum est. Et tamen dicis: Nusquam nominatur filius, λόγος, nisi in Apocalypsi, cuius auctoritatem abijcis. Nec ignoras initium primæ Epistolæ Iohannis. Ac discerni in Ecclesia λόγον ὑφ' ἰσάμλων à uoce creata euanescente nosti. Scio autem multa contra & disputata esse olim, & hoc tempore moueri. Nec sum adeò rudis historiæ, ut Samosatēni & aliorum certamina nesciam, nec adeò stolidus sum, ut mihi nullæ πιθανολογίαι in mentem ueniant. Sed retineo inuocationem Filij Dei, & sæpe expresse Serueticos furores refutaui. At inquis confirmari Stenkefeldiana deliria, si filius dicatur λόγος. Ego perspicuè refutari Stenkefeldiana posse adfirmo, etiam sine Samosatēnicis & Serueticis auxilijs. Quid opus est, inquis, rauca & blesa uoce, si filius ipse concionatur? Hoc bello scommate subsannari me, καὶ ἐκθεατρῆσαι, non ualde moleste fero. Scio me raucum et blesum esse. Sed hos ludos in re tanta non probaturos esse uiros graues arbitror, & te miror has delicias, cùm ad me ueterem amicum scribas, amare. Dicitur de ministerio: Ex ore infantium etc. In eo ministerio Filius caput est non ociosum. Ego sum uitis, uos palmites, Nemo nouit patrem nisi Filius, & cui uolet Filius reuelare. Nec reijcio Augustini dictum de Filio: Quotidie mittitur sapientia, ut sit cum homine. Nec tamen inde Stenkefeldiana sequuntur, quæ tollunt externum ministerium. Postremo dicis: Si cogitatione nascitur Filius, erunt innumerabiles. Vnicus est Filius æterni Patris, quem adfirmant scripta Apostolica esse εἰκόνα æterni Patris, & χαρακτῆρὰ ὑποστάσεως. Has adpellationes tota uetustas
inter

tinterpretatur, ut in meis scriptis recito. Cumque nota sint
tibi explicationes uetustæ, longiorem commemoratio-
nem omitto. Scio homines astutos, qui doctrinam Ec-
clesiæ aspernantur, non difficulter inuenire, quod op-
ponant. Et hoc seculum delectatur prophanis dispu-
tationibus. Sed Deo iuuante nunquam abhinciam inuo-
cationem filij Dei, nec discedam à Symbolis, Apostolis
co & Niceno, & congruentibus. Memini Flacium ante
annos aliquot reprehendere formam nostræ inuocatio-
nis: Omnipotens Deus, æterne pater Domini nostri Iesu
Christi, creator cum Filio tuo coæterno & Spiritu san-
cto. Mirabar cur reprehenderet, nec tamen quida-
quam mali suspicatus sum, Nunc uideo quas disputati-
ones moueat. Non genui noua dogmata, sed commu-
nem doctrinam harum Ecclesiarum, ut potui, congeffi
in unum corpus, ut iuniores summam rerum comple-
cti possent. Quædam minus horridè recitauit, pro-
pter iuuentutem, & semper me iudicio Ecclesiæ subie-
ci. Vides quantum nostris opus sit concordia, quare
etiam si quæ, ut fieri aliter in hac imbecillitate naturæ
non potest, dissensiones inciderent, pia dijudicatione
nostra uulnera sananda erant. Nunc certatur odijs,
& factionibus incitantur contra nos & principes &
populus se uicia scriptorum. Laceror à Pontificijs, &
recens contra me librum edidit Staphylus. Multi fan-
natici, Seruetus, Stenkefeldius, & alij contra me atro-
cia scripta ediderunt. Interea incurrunt in me non
minus atrociter Flaciani. Inter hæc pericula me filio
Dei Domino nostro Iesu Christo commendo, & eum
oro, ut me gubernet, & me $\sigma\kappa\epsilon\upsilon\theta$ $\epsilon\lambda\acute{\epsilon}\omicron\upsilon\varsigma$ faciat. Scio

B iij

me

me non esse ἀναμάρτητον. Nec defugiam iudicia nos-
trarum Ecclesiarum. Hæc ad Epistolam quam mihi
misisti, breuiter respondeo, & te oro, ut sis
hortator cæteris ad studium
publicæ tranquillitatis.
Bene uale.







Fig. 4621.


ULB Halle 3
004 173 368




56,

m.c.







B.I.G.

Farbkarte #13

EPISTOLA
A VVERNERO PASTORE
BARBIENSI SCRIPTA EX MANDA
to Flacij Illyrici, & præscripta ab
eo formula,

AD PHILIPPVM MELAN-
THONEM,

In qua quid sentiat Flacius περί λόγου seu de filio
Dei Domino nostro Iesu Christo, qui
est fundamentum fidei & res
ligionis nostræ, ex-
ponitur.

RESPONSIO D. Philippi Melanthonis
ad istam Epistolam.
✠

ANNO M. D. LVIII.

XVII 547

